



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Ludgardis Virg. 16. lunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

382 VITÆ SANCTORUM. 16. Junii.
voto suo; Alexander ad tribunalis gradus
victori animam elisit. Quid mater? nun-
quam lætiore vultu suum pignus aspexit,
idemque beneficium poposcit, ut quam
citissimè eum assequeretur. Impetra-
vit: laniata unguis, perfusa pice cervi-
cem securi subdidit: sed quantumque
properaret, filius cælum subeundi jam
coronatus occurrit. Ex Sur.

*Non solùm effusio sanguinis in confes-
fione reputatur, sed devotæ quoque mentis
servitus immaculata quotidianum Marty-
rium est. Illa corona de rosis & violis ple-
titur, ista de liliis. S. Hieron. in Epitaph. Paulæ.*

S. LUDGARDIS VIRG. 16. Junii.

Nulla pulchrior virginitate est virtus,
quæ *Deum* etiam hominis facit ri-
valem. Ambierant **LUDGARDUS** tha-
lamum complures, nec ignobiles terræ
filii, & ex his familiarius uni forte lo-
quebatur, cum ei sanctior sponsus *Chi-
ristus* pectus suum, & in pectore cor sau-
cium ostendit, & extra non nihil dein-
ceps jussit querere. Inde videlicet hu-
mana omnia usque adeò illi jam viles-
cere, ut præter crucifixi nullos amo-
res sciret, præsertim ubi ab ejusdem
vulneris nectare ebria, tota jam ubi ha-
bitabat, ubi sanctior amor degit. Depo-
suerat *Dei* Mater apud **LUDGARDI**
que-

17. Junii. VITÆ SANCTORUM. 38;
querelas suas, quibus filium ab Albigen-
sibus hereticis iterum in crucem agi do-
lebat. Hic ut luctum virgo suum testa-
retur, VII. annorum sibi jejunium indi-
xit, alteriusque æquè longum pro pec-
cantium salute adjecit, & subinde *Spon-
sum irato Patri* vidit supplicem, & vul-
nera velut clypeum pro orbe perituro ob-
jicientem. Martyrii desiderio tam bul-
liebat in amante sanguis, ut arteriam
ali quando ruperit, cælumque idem præ-
mium, quod martyribus spoponderit.
Satrem epulum adire inter Angelos non
semel, quandoque etiam inter *Mariæ*
& D. Ioannis comitatum visa est. Ante
obitum oculis orbata, numquam tamen
magis cælestia, quam tum vidit. Mo-
rienti enim cum *Matre*, & aliis Cælitic-
bus obvius *Sponsus* venit: quibus duci-
bus in cælos abiens, errare etiam cæca
non potuit. *Ex Surio & Lippeloo.*

*Putasne Filium Dei reputat Jesum,
quisquis ille est homo, qui ipsius nec terre-
tur comminationibus, nec attrahitur pro-
missionibus, nec preceptis obtemperat, nec
consiliis acquiescit?* S. Bern. in Serm.

S. RAINERIUS C. 17. Junii.

R A I N E R I U S Pisanius cupiditatum
æstu abreptus, ad infames adoles-
centiæ scopulos naufragium innocen-
tiæ fecit: enatavit tamen arreptâ pœ-
nitentia.